IN LAUDEM LEGIS QUAE VULGO DICITUR LO STATUTO CARMEN ANTONII RIEPII

Antonio Rieppi



Celebrabitisque solemnitatem ejus.... legitimum
sempiternum erit in generationibus vestris.
MOSES, *in Lev.* cap. XXIII. v. 41.

Laetitiæ voces resonent et carmina laudis (1),
Ausonidumque animi sancto fervore calescant.
Alma dies fulget, coelo rutilatque sereno,
Quam patres nostri in mediis conatibus aegri,
Et longo gemitu, et longo cupiere labore.
Festivis reboent nostra haec solemnia dictis:
Calliope cithara et fidibus modulamina promat.
O sancti vates, summum quos Numen adurget,
Percellitque suae divinae flamine mentis,
Hanc celebrate diem psalmis, hanc carmine laeto.

(1) Hos versus hexametros legebam in magno conventu civium apud Syracusios, quum hi, calendis juniis (Curatoribus Municipii in decus festi adlaborantibus, et auspice praeclarissimo Viro, qui prae se ferens specimen omnium virtutum praeest Syracusanae provinciae), celebrarent insigni apparatu solemnem diem, quae memorat, memorabitque aequata Italorum jura et maxima decora Patriae, et nonnulli egregii poetae, celebresque oratores canerent et dissererent de praestantia illius diei, de italicisque rebus.

Ut pactum Insubrum olim, quo Pontida nitescit,
Urbes ausonias concordi foedere junxit,
Accivitque Italos mira in certamina Martis:
Terrifici sic quum Domini furialibus iris
Ausonia infando fato devota maneret,
Augustae urbis Taurini inter moenia celsa
Pacta fides fuit, inviolabile sacramentum
Ausonidum. Sanxit communia pacta Sabaudus
Rex, legemque dedit sanctam, quae jura tueri
Ausonidum, et posset gentem frenare superbam.
Quis referat nunc quae fuerint miracula legis,
Quae miseris dedit auxilium, patriaeque levamen?
Quis libertatis ausus, quis facta stupenda,
Per quae Itali demum fregere tyrannidis arma,
Et septem divulsa fuere atrae capita hydrae?
Italia egregiae prolis conspersa cruore,
Quae persaepe suis cecidit jugulata tyrannis,
Fletibus et longo gemitu concussa dolentum,
Et saepe accensa et monita acri carmine vatum,
Adversus diros dominos exarsit in iras.
Iam Mediolanum miro certamine fulget:
Italiae vindex Rex Carolus agmina duxit
Contra hostes, qui tunc longi post temporis orbem,
Vexatos timuere Italos, coecoque timore
Fugere abrepti. Tunc mens nisi laeva fuisset,
Ausonia infensos hostes pellebat et alma
Libertas fulcro firmo connixa stetisset.
Ast italum robur, quod factis fulserat altis
Imminui coepit vario in discrimine rerum.
Inde rota incerta torquens fortuna favores
Obstitit inceptis: redierunt pristina fata.

Nos quaedam vis tartarea in mala prisca remisit,
Quae damno ingenti decem mansere per annos.
Sed fletum Ausoniae et gemitus miseratus acerbos
Magnanimus rex Emmanuel, felicibus ausis
Augustae matris constanter jura tuetur:
Iam lassis tandem redit in praecordia virtus,
Corde humiles demum optatam retulere salutem.
Nec sane occubuit letho Saturnia tellus,
Quae genuit Decios, Marios, magnosque Camillos,
Sed vivit, servatque viros virtute potentes.
Fausta dies fulsit, cum concrepuere Palestri
Arma, tubae, lituique cientes Martis agonem.
Iam veluti in praedam compulsi ardore leones,
Ausonii magna vi conjiciuntur in hostes:
Abrumpunt acies, prosternunt agmina densa,
Et tandem virtus italorum firma revixit.
Cum sociis armis Gallorum signa sabauda
Insubrum in campis binos retulere triumphos.
Tunc primum Ausoniae vexilla per aethera late
Enituere, atque exultans Insubria tota
Adfuit Ausonio regi redimita coronis.
Et sicut generosa olim Titania pubes
Indignas manicas et vincula fregit averni,
Et claustris fractis lucem aspexere diei:
Sic urbes italae abjiciunt monumenta doloris,
Infandumque jugum: sic Thuscia vincula solvit,
Italicumque colit regem resonantibus hymnis:
Felsina sic surgit, simul et Ferraria et ambae
Lugubres odio forti rupere catenas.
Sic armis Mutina ut semper praeclara virisque
Illico servitii prosternit signa vetusti.

402

Tunc Umbri, Marsi, Samnites, Romulidaeque
Omnesque Ausonii almae libertatis amore
Incaluere: quasi e somno Saturnia tellus
Tota excussa fuit: mens una eademque voluntas
Campanis, Oscisque fuit, Calabrisque, parique
Accensa exarsit flamma Sicania tota.
Tunc juvenum alma cohors, forti ductore jubente,
Tyrrheni pelagi celeri navi aequora pulsans
Trinacriae appulit ora. Statim insonuit Lilybaeum
Iucundo fremitu: Siculi vexilla salutant,
Insignemque ducem laetanti corde sequuntur.
Iam Garibaldus dux, forti comitante cohorte
Excurrit, veluti turbo phantasmata noctis
Dissolvens, nubesque nigras, quo clarior alto
Lucifer exsurgat coelo, funditque catervas
Regis inhumani obstantes, victorque Panormum
Contendit. Tota excutitur veluti acta superno
Impulsu, extollitque pia arma excelsa Panormus.
Exoritur clamor: cives glomerantur in unum,
Millenumque globo juvenum sociantur et acri
Pugna vesanas turbas fregere tyranni.
Libertate data Siculis cito maximus heros,
Fulmineam ducens iterum ad majora cohortem,
Transiluit Scyllae fluctus et claustra Pelori.
Iam Calabris adstat, jam ocyssime Bruttia tellus
Decertat, decorisque instaurat facta vetusti.
Vix Calabri excussere jugum perstrenuus heros
Accelerat gressum pugnans, semperque triumphans
Parthenopen versus. Fervore agitata superno
Arma fremit generosa urbs, accedente phalange
Victrici: evasit magno livore perosus

Rex cum conducta vilique cohorte suorum,
Formidans populi irati furialia tela.
Nec minus interea accenderunt classica pugnas
Inter Picenos avidos sua jura tuendi
Atque Umbros: hostes et ibi certamine victi
Demum cessere et monumenta tyrannidis atrae
Propter virtutem Ausonidum collisa ruerunt.
A monte aetnaeo usque ad ruptas gurgite ripas
Benaci, unde fluit tranquille Mincius amnis,
Victores fuerant Itali, et pepulere tyrannos.
Ausonidae tandem psallunt celebrantque triumphum,
Et gaudent longum patriae cessasse dolorem.
Augustam Taurinorum venere frequentes
Tunc oratores Patriae, sanctusque senatus.
Confirmata fuit lex, quae fuit ara salutis:
Foedera prisca novis pactis solidata fuere,
Per quae gens tota Ausonidum consistere in unum
Debebat servans eadem moderamina regni.
Exinde et tellus Henetum, tellusque Quiritum
Debebant duci Ausonidum in consortia regni.
Sed labor asper erat saevum turbare tyrannum,
Qui Venetos flagris, lorisque premebat acerbis,
Magnae et molis erat romanam condere gentem.
Sed nil mente quatit solida, fortesque moratur,
Quin sua perficere assiduo conamine curent
Proposita: hinc tandem praedam Austria dira reliquit:
Adriaci hinc regina maris funebria signa
Servitii longi abjecit, mensaeque sororum
Urbium adest, sertisque caput redimita recumbit.
Sed quamvis fusos versaret Parca benignos,
Causa manebat adhuc luctus saevique doloris.

Romulidum eximia urbs flétu lugebat acerbo,
Non secus ac si illam vexaret Numinis ira,
Eumenidumque esset diro devota furori.
Hei mihi ! tristitia facies, vultusque rigebat,
Saucium erat pectus, lethali vulnere fractum ;
Incomptisque comis, fusco circumdata amictu,
Artis compedibus, lorisque revincta ululabat.
Sed quamvis patiens ferret longi exitia aevi,
Non tot devicta aerumnis, nec fracta labore
Aeterna urbs praestans et majestate verenda
Durabat. Longi potuere aevi invida tela
Reginam plagis diris cruciare vetustam,
Hostes infensi potuerunt frangere sceptra
Illius, atque tropaea auferre, auferre coronas :
Sed non fecere abjectam, vel dedecore atram.
Talis visa fuit mihi Roma gravata ruinis,
Ut quondam infelix Niobe, quum afflicta doleret
Decernens prolem lethali caede cruentam.
Romulea urbs pariter perspexit strage madentem
Iucundam sobolem, et fortes cecidisse Quirites,
Antiquum decus amissum, sanctumque Senatum ;
Vidit humi ingentes aedes, Capitolia strata,
Praeclarique fori avulsas ruptasque columnas,
Signaque marmorea, et gravium simulacra Quiritum
Inter serpentes hederas collapsa manere,
Et magnas moles, clari monumenta laboris,
Porticibusque ornata palatia celsa Neronum,
Barbarico excisa incursu, rabieque Gothorum.
Sed miseram non tam veteres, tristesque ruinae
Vexabant, quam Pontificum ambitiosa potestas,
Qua obstringebatur pedicis, nodisque retortis.

Ausonii fortes miserantes fata parentis
Sunt semel et bis connixi perrumpere vincla:
Sed semel atque iterum frustra cessere labores.
Attamen adversis rerum immersabilis undis
Pacta fides mansit, nec fessi caede cruenta
Cessabant Itali a coeptis, semperque manebat
Defixa in votis, animisque urbs alma Quiritum;
Et si non possent lenire deos, Acheronta
Flexissent, caput ausonium ut urbs Roma rediret.
Pacta fides, atque inviolabile sacramentum
Ausonidum sortis ludo haud delentur iniquae.
Tandem devicit virtus, constantia vicit.
Qui nobis Romam lymphata mente negabat
Devictus cecidit: pleno romana favore
Gaudia perficiunt Superi: successibus urgent
Successus: lapsas res post mala longa reponunt.
En caput Ausoniae post fata urbs Roma resurgit.
Iam regina redit, quae longa attrita ruina,
Pontificumque jugo misere dejecta gemebat.
Quae Dantes odiis iraque oppressus acerbi
Exilii optavit, cecinitque poemate sancto,
Pontificum acriter aggrediens terrestria regna,
Iam perfecta vides: adstat praecincta corollis
Libertas, rerumque novus jam nascitur ordo.
O salve, egregia Urbs, quam portendere Sybillae
Aeternam, et numquam interituram oracula Phoebi
Dixerunt: nec nos sapiens cortina fefellit.
Magnanimum aspice, Roma virum, qui foedera sacra,
Qui italicae legem gentis, qui pacta statuta
Servavit, semperque tuetur: conspice Regem,
Qui tibi persolvit manicas, fregitque catenas.

Fulget in incessu majestas, fulget in ore
Et verbis: dextram Regis venerare potentis,
Qui tibi restituit sceptrum, atque insignia regni.
Ipse Tibi trabeas reparat, rursusque curulem
Largitur sellam, majestatemque latinam.

O Itali, haec sit sancta dies, semperque colatur,
Quae memorat foedus, quo Roma genusque latinum
Reflorent, gensque Ausonidum servata quiescit.